

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Relinquere c  
cum fonte primo

Qui celestis uite dulcedinem in quantum possibilitas admiserit, perfecte cognouerit ea que in terris amauerat, libenter cuncta derelinquit.

In comparatione eius uilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in celestibus animus, nichil in terrenis libet, deforme conspicitur quicquid de terrene rei placebat specie quia sola preciose margarite claritas fulget in mente.

Augustinus in omelia.

Rursum caeleste regnum negotiatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quaerit, sed unam pretiosam inuenit, quam uidelicet inuentam omnia uendens emit, quia

qui caelestis uitae dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognouerit, ea quae in terris amauerat libenter cuncta derelinquit.

In comparatione eius uilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, inardescit in caelestibus animus, nihil in terrenis libet, deforme conspicitur quicquid de terrena rei placebat specie, quia sola pretiosae margaritae claritas fulget in mente.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 1, 11, 2 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.75, ll.28-36).